B R E V E

S.MI D. N.

D. CLEMENTIS PAPAE VIII.

CONCESSVM

Reuerendiſs. P. Magiſtro Hippolito Rauennati, totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Generali, & etiam Succeſſoribus omnibus Generalibus in perpetuum, vt poſſint viſitare Fratres, & Monaſteria Congregationis Lombardiæ nuncupatæ eiuſdem Ordinis.



R O M Æ,

Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M. DCIV.

CLEMENS
PAPA VIII.
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

EX iniuncto nobis Apoſtolici muneris debito controuerſijs, & differentijs inter Religioſos vertentibus finem imponere, ac deſuper de opportuno remedio prouidere tenemur, prout ius, & ratio poſtulat, ac aliàs in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Cùm itaq; dudùm inter dilectos filios Priorem Generalem Ordinis Fratrum Eremitarùm Sãcti Auguſtini, eiusq; Aſſiſtentes ex vna, & Vicarium Generalem, & Fratres Congregationis, ſeù Societatis Lombardiæ eiuſdem Ordinis ex al-

tera partibus controuersiæ, ac differentiæ super iure, modo, & forma visitandi, rebusque alijs viguerint, Nosque illas in Congregatione Reformationis, & Visitationis Apostolicæ maturè discuti, & examinari fecerimus, & in eadem Congregatione ambæ partes pluries fuerint auditæ: Nunc huiusmodi differentias, & controuersias è medio tollere, ac vtriusque partis quieti prospicere volentes, Ac Priorem Generalem, Assistentes, & Vicarium Generalem, & Fratres vniuersos Ordinis, & Congregationis prædictorum à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine; declarantes in primis, & ante omnia, mentis, & intentionis nostræ non fuisse, nec esse, in literis nostris in forma Breuis, sub datum die xiij. Iulij præsentis Anni M. DCIIII. Expeditis super visitatione per Priorem Generalem facienda in Domibus Congregationis Lombardiæ, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, recedere à dispositione, & priuilegio fœl. record. INNOCENTII PP. VIII. Prædecessoris nostri super eadem visitatione emanatis, & ab eisdem partibus receptis, & acceptatis in concordia de Anno M. DLI. inter eas inita, quarum etiam tenores præsentibus pariter pro expressis haberi volumus: sed eiusdem nostræ mentis, & intentionis fuisse, & esse, statuere, & decernere, prout in dictis priuilegio, & concordia continetur, & nihilominùs prædictas nostras literas ad præscriptum priuilegij, & concordiæ huiusmodi reducentes, harum serie perpetuò statuimus, & decernimus, Quòd liceat Priori Generali, quoties ei placuerit, per se insimul cum vno ex Visitatoribus Societatis huiusmodi, quem ad hoc duxerit eligendum, vel per Vicarium eiusdem Societatis dumtaxat,

& non

& non per alium vnam, vel plures Domum, vel Domos, ac ipſam Societatem viſitare. Ac vlteriùs volumus, & mandamus, vt in Viſitatione huiuſmodi Prior Generalis, tàm in præcedentia, quàm in alijs quibuſcumque actibus publicis, vel priuatis in locis, & Domibus Congregationis prædictæ habeatur, recipiatur, & honoretur, vt Caput, Gubernator, & Adminiſtrator totiùs Ordinis Sancti Auguſtini ab ipſo Vicario Generali Congregationis, Viſitatoribus, Prouincialibus, Prioribus, & omnibus alijs Fratribus: Et debeant in eadem viſitatione primùm ipſe Vicarius Generalis, deindè Viſitatores, Prouinciales, Priores, & alij ſupradicti Fratres præſtare illi cum effectu omnem obedientiam, vt ſuo Superiori. Teneatur Vicarius Generalis, Viſitatores, & alij quicumque Fratres Congregationis ſubire, & recipere prædictam Viſitationem, nedùm quoad loca, Domus, & Conuentus Congregationis, verùm etiam quoad proprias cuiusque ipſorum perſonas, & debeant vniuerſi, ac illorum vnuſquiſque obedientiam præſtare Priori Generali in his, quæ per ipſum in Viſitatione fuerint ordinata, necnon ſubiacere pœnis, & correctionibus, quas iuxta Conſtitutiones dictæ Congregationis Prior Generalis illis viſitando iniunxerit, & impoſuerit, illasque omninò adimplere, & exequi debeant. Viſitator Congregationis, qui vocatus à Priore Generali intererit viſitationi, vel Vicarius Generalis ipſe, ſi quando reperietur in Conuentu, vbi fiet viſitatio, aſſiſtat ipſi Priori Generali, vt illum informet, ac certiorem faciat de ſtatu, & negocijs Domorum viſitandarum, vitaque, & moribus Fratrum. Verùm nullam habeat vocem actiuam in ipſa Viſitatione, & non poſſit ferre, aut prætendere votum, niſi conſultiuum in his omnibus, quæ Prior Generalis voluerit decernere, neque etiam poſſit, aut debeat intereſſe ſcrutinio, aut examini ſecreto habendo per Priorem Generalem viſitantem de Fratribus Congregationis, cui ſcrutinio, ſeù examini ipſe ſolùs Prior Generalis debebit intereſſe. Aſſiſtentes Ordinis comitentur, & aſſocient Priorem

Generalem

Generalem in visitatione Congregationis, & perpetuò eidem assistant, & ipse Prior Generalis absque eorum Consilio nihil decernere possit, iuxta formam à nobis præscriptam in literis in forma Breuis super deputatione eorumdem Assistentium expeditis. Ijdem Assistentes, dùm eo munere in dicta Visitatione funguntur, in quibuscumque locis, & actibus eiusdem Congregationis locum habeant præsente Priore Generali, ante Vicarium Generalem Congregationis, ac Visitatores, Procuratorem, Prouinciales, Priores, & alios quoscumque Fratres dictæ Congregationis. Teneatur Prior Generalis saltem per Mensem ante Visitationem denunciare visitatori, quem voluerit eligere, Visitationem faciendam, eiùsque locum, & tempus, & si Visitator vocatus recusauerit, aut neglexerit in loco, aut Monasterio visitando interuenire, liceat eidem Priori Generali vocare ad eundem officium de propinquiori Monasterio Priorem, vel eo absente Vicarium, & illis adhuc accedere recusantibus, absq; eorum interuentu dicta loca visitare. Quo circa vtrisque partibus prædictis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, alijsque arbitrij nostri pœnis districtè præcipiendo mandamus, quatenus præmissa omnia, & singula inuiolatè obseruent, &. per eos, ad quos spectat, & spectabit in futurum, obseruari curent, & faciant. Et nihilominùs eidem Priori Generali prædictos Vicarium Generalem, Visitatores, Priores, & Fratres dictæ Congregationis Lombardiæ ad obseruationem præmissorum per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Iuris, & facti remedia cogendi, & compellendi, ac inobedientes quoscumque etiam voce actiua, & passiua perpetuò, vel ad tempus arbitrio suo priuandi, & contra illos censuras, & pœnas supradictas, seruata Iuris, & sacrorum Canonum forma, proferendi, & promulgandi, facultatem impartimur, ac sententias, siue pœnas præmissas, quas ritè tulerit, seù statuerit in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.

ſeruari. Non obſtantibus literis noſtris ſupradictis de Menſe Iulij præſentis anni expeditis, ac etiam prædicti Innocentij Prædeceſſoris priuilegio, & concordia in his quæ præſentibus aduerſantur, ac alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis eidem Congregationi, eiuſque Vicario Generali, alijſque Superioribus, & Fratribus ſub quibuſcumque tenoribus, & formis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenoribus præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xxij. Decembris M. DCIIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

M. Veſtrius Barbianus.